

coronacionis^a. Ratum habiturus quidquid^b per dictum fratrem Wernherum actum vel procuratum fuerit in premissis. Acta sunt hec^c anno Domini, indictione, mense, die, hora diei^e et loco prescriptis; presentibus reverendo in Christo patre et domino domino Balduino archiepiscopo Treverensi predicto, domino fratre Conrado^d de Gvndolfingen^e commendatore provinciali fratrum domus sancte Marie Theutonicorum^f per Franc(oniam) necnon nobilibus viris dominis Iohanne et Heinrico^g fratribus comitibus de Spanheim^h et Egidioⁱ de Rodemaco et pluribus aliis circumstantibus, testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis. Et ego Iohannes quondam Gerlaci dictus Certamen clericus Spirensis publicus apostolica auctoritate notarius, quia premissis constitutioni procuratoris una cum testibus predictis interfui, hoc instrumentum publicum manu mea conscriptum inde confeci et signum meum consuetum apposui requisitus et rogatus'.

Item:

'In nomine Domini amen. Noverint universi, quod in presencia mei notarii et testium infrascriptorum reverendus in Christo pater et dominus dominus Balduinus Dei gratia sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Galliam archicancellarius religiosum ac prudentem virum fratrem Wernherum dictum de Wintrich ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani^k domus Treverensis suum constituit procuratorem et nuncium specialem ad comparendum et se presentandum coram reverendo^l patre domino Heinrico^g Coloniensi archiepiscopo ad petendum et requirendum primo, secundo et tercio cum instancia nomine suo necnon reverendi patris domini Petri Maguntini archiepiscopi, domini Iohannis regis Bohemie et Polonie, Woldemari marchionis Brandenburgensis et Iohannis senioris ducis Saxonie, illustrium principum et coelectorum suorum Romanorum regis sibi in hoc adherencium seu adherere volencium, quatenus serenissimo principi domino Ludowico Dei gratia comiti palatino Reni duci Bawarie in regem Romanorum electo ab eo et aliis conprincipibus et coelectoribus suis predictis, qui die sue electionis rite prefixa voluerunt^m, potuerunt et debueruntⁿ loco ad hoc debito etⁿ consueto electioni predictae interesse, intronizatoque post eius electionem in civitatem

a) 'coronacionis' 1. b) 'quicquid' 2. c) Febht 2. d) 'dicto' fügt zu 2. e) 'Gendolfingen' 2. f) 'Theton.' 2. g) 'Henr.' 2. h) 'Spanhem' 2. i) 'domino' fügt zu 2. k) 'Iher.' 2. l) 'in Christo' fügt zu 2. m) 'voluerint' u. s. w. 2. n) 'ad hoc' fügt zu 2.